# VOTA ET MOTIVA A PROCESSV IN CVRIA DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, ET SCRIBANIA BERnardi Sanz de Cuenca Scriuæ princ. habito & actitato intitulato processu Susanæ Perez de Oliuan Cæsaraugustæ domiciliatę, super apprehensione.

IN Processu, & causa in Curia Domini Iustitiæ Aragonum habito, & actitato intitulato, Processus Susanæ Perez de Oliuan super Apprehensione. Interuenientibus in Camera Consilij eiusdem Curiæ, Illustrissimo Domino Don Augustino de Villanueba, & Diez Milite Maiestatis Domini nostri, Regio Consiliario, ac Iustitia Aragonum: Et Illustribus Dominis Doctoribus Hieronymo Garcia de Benabarre & Prad, Hieronymo Torrero & Embun, Didaco Canales, Ioanne Chrisostomo de Exea, & Hieronymo Caluo eius Locumtenentibus, existentes dicto & præintitulato processu in deliberatione super sentētia diffinitiua, in eodem ferenda, tam dictus Dominus Didacus Canales causę Relator, quam cæteri Domini Locumtenentes concordes fuerunt voti & opinionis, quod tenetur & debet pronuntiare & in bonis sub numero primo & secundo in fine præsentis appellitus apprehensionis cōfrontatis mandare fieri contenta in propositione oblata pro parte Prioris, Fratruum & Conuētus Sancti Dominici præsentis Ciuitatis Cæsaraugustæ, principalium Ferdinandi Sanchez, & Ioannis Francisci Sanchez Procuratorum, respectu tantum iurium deductorū in articulis sexto, octauo, decimo, vndecimo, duodecimo, decimotertio dempto iure recipiēdi octo regalia, & decimosexto, & sine præiudicio dictorū iurium contenta in propositione oblata pro parte Susanæ

Perez de Oliban, principalis Braulij Mendieta, & Barthōlomęi Vicente Procuratorum, reſpectu iurium tantum deductorum in articulo quarto, ſexto, & decimo propoſitionis oblatæ pro parte Maiordomorum Confratruū, & Capituli, Confratrię Diuę Mariæ de Miraculo præſentis Ciuitatis, dēpto tamē Iure habendi Sacerdotes, & Miniſtros ad celebrationē diuinorū officiorum in dictis bonis, & in bonis ſub numero tertio, in fine præſentis appellitus confrontatis, contenta in eadem propoſitione Suſanę Perez de Oliuan, cum expenſis Iuribus ſuis durantibus, & eis finitis contenta in propoſitione oblata pro parte dictorum Maiordomorum Confratruum, & Capituli Confratriæ Diuæ Marię Miraculi, Principalium Braulij Mendieta, & Bartholomęi Vicente Procuratorum, reſpectu dictorum iurium in quibus recipitur propoſitio dictæ Suſanæ Perez de Oliuan pręſtita Procuratorum cautione forali, cæterorum propoſitionibus reiectis, & repulſis, reſeruatis iuribus reſeruari ſupplicātibus neutram partium in expenſis condemnando: Ex eo pręſertim & alias, recipitur propoſitio pro Confratruum & Conuentus ſancti Dominici in bonorum ſub numero primo, & ſecundo in fine appellitus præſentis apprehenſionis confrontatis reſpectu iurium deductorum, in articulis ſexto, octauo, decimo, vndecimo, duodecimo, decimotertio, dempto iure recipiendi octo regalia, & decimoſexto, quoniam ex deductis & probatis in proceſſu liquido apparet præfatos Priorem, Fratres & Conuentum extitiſſe in quaſi poſſeſsione dictorum iurium tempore oblatę pręſentis appellitus, neque refragatur pro parte Maiordomorum, & Capituli Confratruū Diuę Marię de Miraculo obijciter ſcilicet, quod dicti Fratres nullo modo poſſunt obtinere, nec in bonis primo loco confrontatis, ideſt in Capella nouiter conſtructa, neque in bonis ſecundi loci, hoc eſt in Capella antiqua, in noua; quoniam ex inſtrumento concordiæ pro parte dictorum Fratrū & Conuentus exhibito conſtat dictam Capellam anno milleſi-

mo

mo quingentesimo quadragesimo primo, fuisse per ipsos Fratres donatam dictæ Confratriæ sub certis pactis, & conditionibus ibi contentis, & perconsequens illam iure dominij, & proprietatis esse Confratriæ, & non Fratrum & Conuentus, tum etiam quia vtraq; Capella tam recens, quã antiqua semper extitit, tam hodie, quam olim separata ab Ecclesia dicti Conuentus, vt colligere licet ex quo propriã & distinctam Valuam habet, turrim cum Cimbalis, Organum, Pulpitum, ac denique plura sunt aniuersaria & celebrationes Missarum in ea fundata, & quod ob hanc caussam visitatã fuisse apparet ab ordinario Ecclesiastico, quæ omnia ostendere videntur Capellam dictam non pro vna ex Capellis Ecclesiæ dicti Conuentus reputandam esse, sed pro alia diuersa ac separata, quibus omnibus respondetur, quod & si ex iure quod Confratribus competit in dicta Capella, noua & antiqua ex præfatis titulis donationis, & cõstructionis quodadmodum Domini videantur non tamen id iure pleni, & liberi dominij intelligi debet, sed imo tantum quoad illorum vsus, qui solum ad conseruationem augmentum, & tuitionem illarum tenere censeãtur, & necessarij ac vtiles ei fuerint, & quoad alios in dictis articulis, quarto, sexto, & decimo suæ propositionis contẽtis; quorum in quasi possessione extare reperti sunt, nam cum iuxta decreta tam Imperialia, quam Pontifica, & Canonica Ecclesiæ, & res sacræ, nullius in bonis esse posint, ideo indubitatum est respectu iuris, & quasi dominij liberi nefas esse labis, illud prætendere, & eis velle vti præterquam ad vssus ad quos destinatæ sunt, & translatæ fuerũt. Quod ex eo euidentius apparet, siquidem in dicta concordia sunt plura pacta, qui solum respiciunt conseruationẽ, & augmentum dictæ Capellæ, veluti pacta conseruationis iocalium, redituum domorum, resartionis damni illati Capellæ, quæ aperte indicant præcipuam, & non aliam fuisse intentionem donantium, nisi conseruandi, & augendi Capellam, non autem vt tãquam domini libere ea vti possent

Con-

Confratres, quod persuadere censemus, vltra dicta pacta alia adiecta in fauorem Conuentus, veluti ea per quæ reseruantur Conuentui iura habendi, clauem, ad ascendere in Capellam, ingrediendi ad altare, & exeundi ad viam publicam, recipiēdi oblationes, & eleemosynas Missarum, mortuoria, & defunsiones; quæ omnia aperte indicant dictam translationem non fuisse liberam, sed limitatam, & regulatam ad metas dispositionis iuris, & concordiæ inhitę. Neque huic considerationi officere censemus quod, pro parte Confratrũ sit allegata immemorialis possesio; quia cum substantia immemorialis præscriptionis consistat in eo, quod intra centum annos secundum receptionem doctorum censuram non reperiatur initium dictæ possesionis, & pro parte Conuentus fuerit exhibitum instrumentum dictæ concordiæ, quo aperte ostenditur quale fuerit initium illius, & a quo ortum habuit, merito dicta immemorialis possesio, tanquam destructa & annullata nullius erit momenti. His accedit quod iuxta intentionem donantium hæc noua, & recens Capella aucta, & ampliata, & antiqua pro vna & eadem accipi debent, quasi sit hæc subrogata in locum antiquæ, quod ingenue agnoscens, dicta Confratria in secunda concordia anni millesimi sexcentesimi, vigesimi quinti expræse fatetur, & vult, quod, rescissa secunda concordia standum sit primæ anni millesimi quingentesimi quadragesimi primi alias non posset habere effectum prima concordia nisi pro vna, & eadem haberetur, de super, & in super, & id etiam resultat, ex rotulo inscripto per ipsos Confratres in pariete Capellæ nouę, quæ sic se habet: *Esta Imagen, Capilla, y casa cō sus adornos es de los Cofadres del Oliuar y del Milagro, mas antigua que el mismo Conuento edificada diuersas vezes, siempre en el mismo lugar. Reedificaronla los Cofadres a su costa, año mil y seyscientos y diez y nueue*, ex quibus verbis resultat quod, etsi redificata non tamen pro diuersa ab ipsis confratribus accipitur, ex quibus omnibus

col-

colligitur quod ius quod, habent Confratres ſit compatibile cum iuribus, quæ habet Conuentus in quorum quaſi poſſeſsione exiſtit. Sequitur quod non obſtantibus dictis titulis donationis, ac conſtructionis, in eiſdem bonis apprehenſis poteſt recipi propoſitio Fratruum & Conuẽtus, nam in iure nihil certius, & receptius eſt, quam etſi eadem res, per plures in ſolidum reſpectu eius de iuris poſsidere non valet, reſpectu vero diuerſorum iurium poteſt. Minus etiam refragari, cenſemus quod dicta Capella ſeparata eſſe videatur ab Eccleſia prædicti Conuentus ex ſupra dictis in contrarium, quia huic obiectioni plene ſatis fit aſerendo, quod etſi illa vera ſunt non ideo neceſſario ex eis infertur ad ſeparationem & ſegregationem illius ab Eccleſia Conuentus, imo ex quo additus eſt per illam intra ad hanc ſimul cum iuribus ſupra perpenſis, & in donatione reſeruatis plus inferri, & præſumi debet ad vnionem, & agregationem illarum quam ad ſeparationem, non obſtante prædicta viſitatione ordinarij Eccleſiaſtici, nam cum non conſtet de ſcientia & tollerantia Conuẽtus parum refert, quid quod cum in præſenti articulo litis pendentiæ ſolum agatur de conſeruando illos in poſſeſsionem in qua realiter exiſtere conſtiterit, ideo nihil intereſe arbitramur quod fuerint ſeparati, necne. Neque obſtare ſimiliter exiſtimamus præfatæ propoſitioni dicti Conuentus quod videatur poſſeſsionem ſuper articulis duodecimo, & decimotertio probatam prodeſſe non poſſe Conuentui, ex quo teſtes non deponunt niſi de tempore ſecundæ concordię, de quo in ea cautum eſt non ſe poſſe probare ea reciſſa, neq; quo ad poſſeſsionem: quia ſatis fit dicendo quod, cũ dicta poſſeſsio ſuper illis articulis probata ſit, de iuribus reſeruatis in concordia antiqua nihil mirum ſi dicta poſſeſsio proſit cũ in noua concordia adſit pactum quod ſtandum ſit primæ, quo fatendum eſt, ſaltim virtute huius pacti obtinere poſſe conuentum, cum reſpectu horum iurium non cenſeatur reciſſa noua cõcordiar. Recipiũtur vero propoſitiones Ma

B ior-

iordomorum, & Capituli Confratruū Diuę Mariæ de Mi raculo & eorum Cesionarię Susanæ Perez de Oliuā in bonis sub numeris primo & secundo confrontatis respectu iurium in articulo quarto & decimo deductorum propositionis dictorum Maiordomorum quoniam constat de eorum quasi possessione tempore oblatæ appellitus apprehensionis non autem recipitur respectu iurium habendi Sacerdotes & Ministros ad celebrationem Diuinorum Officiorum & alia facienda per eos quæ in articulo vndecimo continentur quoniam cum eam possessionem allegent & probent habuisse vsque ad annum tantum millesimum sexcentesimum vigesimum quintum quo fuit facta vltima concordia, & non vsque ad tempus huius litis motæ pro vt præcisse requiritur indubitatum est cum in ea in hoc articulo obtinere non posse. Recipiuntur etiam supradictæ duæ propositiones respectu bonorum sub numero tertio dicti appellitus Cōfratruum, quoniam constat de possessione illa hipothecantium, & de instrumento & clausulis in eo contentis ad obtinendū necessarijs & oportunis. Cæteræ autem propositiones reijciuntur & repellun tur, quia non probarunt, vel publicarunt, & alias attentis contentis.

*SIG†NVM mei Augustini Perez Ciuis Cæsaraugustæ, & in ea domiciliati, auctoritateque Regia per totum Regnum Aragonum publici Notàrij, ac Secretarij substituti Consilij Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum pro magnifico Ioanne Martino de Mezquita Notario & Secretario principali dicti Consily huiusmodi Vota & Motiua a libro motiuorum prædicti Consilij de anno millesimo sexcentesimo quadragesimo, vbi continuata existunt extraxi, & cum dicto originali libro bene & fideliter comprobaui: in quorum fidem & testimonium meo solito signo signaui. Cōstat vero de supra posito in mea signatura vbi legitur, cum, & cerrè.*